

virtus à Maria. S. Bonav.

Prov. 8. 14.

חושבון

Gen. 3. 15.

Prov. 8. 23.

Moyse indita constantia ad Egyptiacam expeditionem, per Mariam.

S. Damasc.

Exo. 4. 17.

stygios hostes bellorum auctores! Non aliunde sanè nisi à generosa sobole Maria Deipara, quæ à Bonaventura in speculo c. 9. Bellatrix egregia nuncupatur. Ut enim ipsa de se ait Proverb. 8. 14. Meum est consilium, & equitas: mea est prudentia, mea est fortitudo. Pro equitas, Hebraicè est חושבון, id est, substantia, constantia, efficacia, fortuna. Prudentissima, atque strenuissima Virgo, quæ vel nondum nata suos obarmabat fortunatissimos progenitores ad sui populi incolumitatem, & numerosam propagationem. In illis, tanquam caelestis Bellona, immanitimum inferorum monstrum, ejusque bellicorum semen, Antimarianos, & Antiabrahamos prosternebat; ac profligabat triumphabunda evadens. Hoc quippe illud est Geneleos 3. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum. Ex Hebræo & Græco verti potest, ut supra observavimus; Ipsa conterendo prævertet, prope conteret, velociter, festinanter, præmature, vigilanter. Præcautissima omnem oculatissimi Draconis in Virginem, & Abrahamiticum ejuspopulum sævientem prævertet diligentiam prævigili, præcauta, præmaturaque festinatione: nondum enim nata hostiles insidias præveniebat, præoccupabatque, quia ex eo populo nascitura. Huc referas illud Virginis Prov. 8. 23. ab eterno, seu à sæculo ordinata sum. Verbum est militare militarem ordinem significans, per quem quilibet in sua statione collocatur. At quænam Deiparæ statio militaris à sæculo? Ex Hebræo vertas, ab eterno vexillata sum: id est, vexillo donata, tanquam antesignana, & bellatrix egregia, cui omnes Abrahamitarum triumphus deferendi sunt: in fortibus enim illius populi bellatoribus latentes Deiparæ curæ, constantia, efficacia, fortitudo, fortuna. Exemplis, uno vel altero, hoc illustremus.

1272 Exodi 4. inauguratur Moyse Hebræorum Imperator sub dura, diraque Egyptiorum servitute gementium: mittitur in Ægyptum regiam Pharaonis pervicaciam domaturus, & Dei populum in libertatem asserturus: asseruit tandem infracto animo, atque inusitatis prodigijs, & in terram lacte, & melle fluentem eduxit. Unde illi, rogo, ad tantam Provinciam constantia, fortitudo, bonaque fortuna? à Virgine planè ex eo populo oriunda? Non enim ille antea in Ægyptum adlegatus, quàm ut rubum videret, & suspiceret flammâ depastum, nec consumptum. Decantatissimum certè intemeratæ Dei Matris emblema, cujus vel sola umbra & simulachrum, Moysem potuit reddere præclarum Heroam, egregium bellatorem, robore conspicuum, & de hostibus triumphatorem. Unde delucidè S. Damascenus Oratione 2. de Assumptione. Per simulachrum quoddam, & umbram Maria tantus legislator, & princeps creatus est. Adde, datam tunc Moyse virgam, miraculorum matricem, & quasi miraculorum promptuarium, & prodigiorum officinam. Exodi 4. 17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Quid, quæso, virga poterit ad debellandos hostes? Quid valeat adversus sævissimum Regem regali potentia armatum, & multo stipatum exercitu Virga fragilis? Multum quidem, si noveris, virgâ illâ thauaturgâ præsignatam magnam Dei Matrem, virgam virtutis Dei, virgam de radice

Jesse pullulaturam. Sic S. Bernardus Homilia S. Berni. 2. super Missus est. Virga, qua feriente, aqua dividitur transituris. Sic Absalon Abbas in Sermonem 31. de Assumptione. Virga Moysis, per quam fecit signa in Ægypto, Maria est. Ecce, unde vires, & animos adversus sævientes hostes concepit Moyses. Ecce unde sola virga pro gladio, pro hasta, pro clypeo, pro thorace, promulto milite armato ei sufficit omnino. Mater Virgo in virga illa testè operabatur, terram hostibus incuriebat, bellum gerebat, prosternebat, vincebat, triumphabat pro populo suo, à quo erat nascitura.

1273 Hinc pulchra lux affunditur illis Cant. 1. 9. in curribus Pharaonis assimilavi te, Amica mea. Ubi particula in, juxta Hebræorum idioma, idem significat, quod contra. Alludi credunt multi ex Latinis, Græcisque Patribus ad Ægyptiorum Regem, qui magno equitum curruumque exercitu comitatus Hebræos in eremum fugientes insecutus est. Sed Deus Regem illum, copias & curru illius ibiquasi inequitans, copiosumque secum equitatum deferens exercitus nempe Angelorum, undis demersit, traductis interim per mare rubrum sicco vestigio Israelitis, Exodi 15. Igitur equitatu illi Deum ipsum comitanti, ac de Pharaonis tyrannide triumphanti Virgo Deipara assimilatur: Equitatu meo contra curru Pharaonis assimilavi te. Pro assimilavi ponitur Hebraicè dama, quod propriè etiam significat cogitare, putare, existimare. Unde R. Salomon interpretatur: Apud equorum congregationem in curribus Pharaonis, cogitavi de te. Arcanè quidem ad rem nostrâ. Cum enim Deus quasi vir pugator Pharaonæos submergebat, ac de illis triumphabat, & Abrahamiticum populum incolumem deducebat; in hac expeditione de Virgine Matre sua cogitabat, in illam inspiciebat, & intendebat, quasi præsentissima adesset; pro illa pugnat, & triumphos ageret pro progenitoribus suis.

1274 Mitto Vellus illud datum Gedeoni, Judic. 6. 37. in belli signum, & victoriæ prænuntium: quod prævius extitit Mariæ typus. Mitto etiam sacram illam testamenti Arcam ejusdem Virginis umbram, cui tot tamque gloriosos in sacris litteris cantatissimos triumphos Jacobea gens acceptos referre debet. Mitto columnam illam nubis & ignis, Hebraici populi per desertum gradientis ductrix, & propugnatrix, quâ Deiparam præsignari supra ostendimus. Celebrem illam Jacobi Patriarchæ prædictionem cursum, & forsam noviter premo, Genesis 49. Gen. 49. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, & 10. 1 Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. Pro eo, quod Vulgatus noster sapienter extulit, qui mittendus est, in exemplari Hebraico unica subest dictio Silob, vel Siloab. חילה quam

Cant. 1. 9.

In triumpho de Ægyptiis ab Hebræis reportato Mariam Deum cogitabat, illa de triumphabat.

חמה

Rupertus.

Alia vetera miracula Mariam spectantia.

Gen. 49.

חילה

usque ad illam Gen. Hebraica conservata.

quam Hebræorum majores in Berosith Raba interpretantur: Donec veniat filius illius, videlicet, eximia femina. Est enim rō illius, femininum pronomen, Matrem Christi designans. Hanc interpretationem referunt; & sequuntur David in lib. Radicum, Galatinus libro 4. de Arcanis capite 4. Humerus, & Clarius Genesis 49. Quibus adde Leonem Cæstrum libro 3. Apologetici vertentem; Donec veniat donum ei, vel ejus; nempe magnæ Matris Mariæ. Et quidem in eundem sensum recidit hæc versio, ac Vulgata; ut hanc illa explicare atque illustrare posse videatur. Hoc posito, vaticinatur Jacob, sceptrum ac Ducem de donio Judæ nequaquam fuisse defuturum, donec illustris ea femina Maria Deipara, ejusque Filius, eorumdem Ducum nepotes, ejusdemque sceptri Successores orientur. Indubiè ostendit etiam delectionis, propagationis & conservationis causam quia nimirum à Juda, à Ducibus, à Regibus illius tribus, Davide, Salomone, & cæteris in Judæ sceptrum succedentibus, originem clarissimam repetituri erant Christus, & Maria.

SECTIO IV.

Deipara extat nobilissima nobilissimorum Progenitorum soboles ad illud: Et in electis meis mitte radices.

1275 Quæ diximus supra de sanctissimis, ac præclarissimis Christi Progenitoribus, augustam quoque in Deiparam reverberant gloriam, cum verè Jesu Mater sit, per quam, & ex qua naturam ipse indutus humanam eorumdem avorum, proavorumque nepotem sese præstitit. Unde eodem studio, quo Evangelista Matthæus capite 1. Christi Domini genealogiam recensuit, Virginis quoque Matris gentilitiam retexit nobilitatem. Itaque sapienter Sanctus Anselmus Cantuariensis in Epistola ad Episcopos, & Orthodoxos Anglos, in hanc sententiam scripsit: Conceptionem Dominicæ Mariæ colere est Christi generationem commemorare: nam Virginis Mariae conceptio, Christi generationis est linea. Quapropter Evangelium, liber generationis, hodie, sicut in Nativitate Domini, ad Missam legitur. Meritò ergo colitur & Filius generatio, & Matris conceptio; quoniam conceptio Matris, generatio est Filii. Hæc Anselmus; de cujus sententia, dum Matthæus genealogiam Domini describit, eadem operâ generationem Beatæ Virginis docet, ex qua Christus. Verum nonnulla hic singulatim discutiamus pro honorario Progenitorum Mariæ catalogo, quo ipsa illustratur non degener à præclara majorum gloria; imò illis reddens clariore nobilitatis titulos.

S. Anselm.

Apoc. 12. 1.

Ad præclaram Mariam nobilitatis commendationem spectant luminosa Symbola.

pendam, si præmiserò ex sacris & humanioribus litteris, Nobiles vocari etiam claros. Unde clarum genus, clarum natalibus, clarum sanguinem, claram propaginem, claram progeniem, claros parentes, claros natales, virum clarissimum pro nobili Scriptores frequenter usurpant; quemadmodum etiam obscurum pro ignobili. Qua de re lege Tiraquellum de Nobilitate capite 2. à numero 9. Et observa, ex sacra id quoque Scriptura clarere, ubi albor, & candor ad claros, illustres & nobiles viros referuntur. Ecclesiast. 10. 17. Beata terra, cujus Rex nobilis est. Vox originalis juxta Hebraizantes penè omnes significat album, seu candidum, & ad nobiles refertur, ac proinde Vatablus, & Forsterus in Lexico transferunt, cujus Rex filius candidorum; alii, Rex natus clarissimis. Et Proverbiorum 22. 29. Nec erit ante ignobiles. Hebraicè; non erit ante tenebrosos, vel obscuros. Inde etiam nobiles dicuntur illustres, & splendidi. Propertius libro 2. Elegia 14.

Nec si qua illustres famina jactat viros. Imò nobiles dicuntur clari, quia illustres, quia splendidi; candor enim pro splendore, & candidum pro splendido sæpè ponitur. Lucæ 9. 29. Marci 9. 2. Ubi etiam animadvertas, alium pro nobili similiter sumimus pro nobili, infimus pro ignobili.

Dardanide magni genus alto à sanguine Divi. Statius libro Sylvarum 3. Quis sublimis genus nesciat? Unde ignobiles appellari solent, humiles, imi, infimi. His statutis, cum tota luminosa, tota splendida, tota illustris, tota sublimis, tota clara Deipara Virgo inspicentibus appareat, tota certè omni ex parte, nobilis cernitur, tota perlucida prælustribus majorum titulis. Singula illustremus.

1277 Primò, Mariæ calcamenta splendentè condecorantur Luna: Luna sub pedibus ejus: altero ex nobilioribus cæli astris, in nobilitatis quidem non vulgaris, sed augustioris, argumentum. Luna enim calceis affuta tum apud Romanos, tum apud Hebræos, primæ extitit nobilitatis insignie. De Romanis Plutarchus tradit in Problemate. Quæstione 79. cujus verba infra donabo: Juvenalis Satyr. 7. de Quintiliano loquens: Quintili.

Et nobilis, & generosus Appositam nigræ lunam subtexit alutæ. Et Martialis libro 2. calceos lunatos vocat: Martialis. Lunatam pellem. Et Statius Sylvarum libro 5. Statius.

Primaque Patricia clausit vestigia Luna. Comprobat hunc morem Cicero in Philip. Oratione 13. Cato Originum libro 7. Cælius libro Lætion. antiq. Quæstione 22. Capite 26. & 28. De Hebræorum nobilibus id etiam eruditus scriptoribus constare videtur ex Hære 3. ubi de Hebræis, etiam viris, est sermo sub nomine Filiarum Sion: supra enim dixerat: Et dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominati sunt eis. Ideò verò vocat eos Filias Sion, quia more fæminarum delicias dediti erant, & sese curabant, ut muliebria paterentur more iniquo ab Assyrijs, Græcis, & Romanis, impudentissimè accepto. Et claret ex subiectis verbis: Compositò gradu incedebant. Nam affixum hoc loco cum masculinum sit, vertit ex Hebræo Forerius: Pedes suos, vel pedes eorum laqueolis vincebant. De his ergo effeminatis viris dicitur: In die illa auferet Dominus ornamenta calcamentorum, & lunulas. Ex Hebræo vertas: Gloriam ornamentorum pedum cre-

S. Thom. pitantium. Ubi Sanctus Thomas eandem esse putat has lunulas, quas hic auferendas esse praedicat Vates, cum illis Romanorum; sic enim ille explicat. *Lunulas, id est, quasdam Picturas factas in calceamentis de corio deaurato. Planè in nobilitatis Argumentum.*

S. Basilius. 1278 Caterùm, occur luna in calceis delecta in calceis pro nobilitatis insigni.

Plutarch. 1279 Ex his ergo, quis non videat, lunam ad Deiparæ plantas obvolutam bellissimum esse vestita diu, atque augustissimæ nobilitatis emblema? *Et Luna sub pedibus ejus.* Porrò, hoc illud est divini sponi ad Matrem Virginem elogium, Canticorum 7. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* Victorius Scialah ex Arabica lingua vertit: *gressus tui splendidi in calceamentis.* Et *Filia Principis* nuncupatur, id est, Principissa, Princeps, seu Regina, ex Hebræorum more, qui *Filium Regis* dicunt, id est, Regem, *Filium hominis*, id est, hominem. Commendatur quidem Deipara Virgo ob vetustam augustè nobilitatem, cujus symbolum erat pulchra & splendida luna calceis affuta: ideò pulchri pedes, & gressus splendidi dicuntur *in calceamentis*; interprete Divo Thomà ad illa Isaie verba capite tertio proximè relata. Neque est quòd se Arcades gloriantur de antiquitate & vetustate generis, ante lunam fuisse stultè contententes. Una Deigenitrix est, quæ jure merito de se ait Proverbiorum octavo; *Ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret; nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram, &c.* Et quidem si verè & historicè rem accipiamus, integra Mariæ profapia & nullibi interrupta, à primo repetenda est Adamo; imò non nisi in ipso Deo conquiescit, ut antiquitas Marianæ nobilitatis in hoc sensu sit aeterna, & usque adeò authentica, ut fidem habeat à duplici Evangelista Matthæo, & Luca. Hic enim, cum genealogiam Virginis per Matthæum ab Abrahamo usque retexam, antiquiorem esse perspexisset, eam, ut omnibus atavorum numeris absolveret, ad Adamum usque, imò usque ad ipsum Deum, accuratè reducendam studuit. Hinc Sanctus Bernardin. Senensis tomo primo, Sermonè sexagesimo primo, cum Christi, & Mariæ nobilitatem ex utraque genealogia Evangelica multis commendasset, articulo primo, capite primo, concludit. *Ut ex hoc manifestè clarescat, quòd omnis nobilitas corporis concessa humano generi in Adam, à Domi-*

Ovidius. *Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur Arcades, & lunà gens prior illa fuit.*

Hinc illi, qui inter Romanos, vel Hebræos nobilitatem suam ad antiquissimos Heroas referebant, lunam pro insigni in calceis gestabant.

Luna pulchri calcei Deiparæ describitur, ut filia Principis. Cant. 7. 1.

Virgo gloriantur de vetustate generis ante lunam. Pro. 8. 32.

S. Bern. *Claruit Ascanio subita cum Luce comarum Immoius flagrare apex.*

no principaliter data est, ut descenderet per multas generationes, & per Virginem Matrem terminaretur in Christum.

1280 Regius Cantor ut supremam Christi nobilitatem sublimissimè commendat, sic fatetur Psalmo 71. versu 17. *Sit nomen ejus benedictum in secula: ante solem permanet nomen ejus.* Ex Hebræo veritas: *Ante solem siliabitur nomen ejus, aut nasci faciet nomen ejus.* Chaldaeus, *Ante solis ortum præparatum fuit nomen ejus.* Abenezra, *Filius erit, Filius appellabitur.* Quasi dicat: *Non profelenus tantum, id est, ante lunam genitus, sed ante solem; ante Luciferum.* Psalmo 109. versu 5. *Et egressus ejus à diebus aternitatis.* Michæ. 5. 2. *Et egressus ejus à diebus aternitatis.*

1281 Secundò, sacrum Mariæ verticem occupant, & coronant astra duodecim: *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Certè, stellarum numerus, quasi intento digito, non nisi duodecim signa Zodiaci demonstrat, ex quibus Virginis constat diadema. Arcanissimè planè, ut sic prælustres Deiparæ progenitores symbolicè designentur, de quorum religione & nobilitate gloriari ipsa possit. Lucæ 1. versu 55. *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula.* Semini, inquam, de quo Genesis vigesimo secundo, versu decimo septimo ad Abrahamum: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli.* Tempestivè & perspicuè Sanctus Bernardus in Sermonè ad illud Apocalypsis signum. *Quod ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex Regibus orta, quòd ex semine Abrahamæ, quòd generosa ex stirpe David.* Clara ergo est Maria ex claris proavorum titulis: tot ejus verticem sidera exornant, tot ipsam nobilitant, quot progenitores nacla est nobilissimos, Patriarchas, Prophetas, Duces, Reges, Sacerdotes, Principes. Quod autem sidera Lux in vertice omen sit, & Symbolum Regiæ nobilitatis, & splendoris supremi, probat id, quòd de Ascanio, Virgilius canit *Virgilius. Cladian.*

Ventura potestas Claruit Ascanio subita cum Luce comarum Immoius flagrare apex. Vide Cerdam nostrum versu 682. numero suo quinto, & Plinium de stellis Castoribus libro 2. cap. 27.

1282 Nec mysterio vacat, quòd duodecim signa Zodiaci Mariano vertici incumbant. Quorum verò duodecim? Dicam, si prius observet, Abrahamiticum, seu Jacobeam populum in duodecim tribus fuisse distributum, juxta numerum duodecim filiorum Jacobi, qui totidem tribuum Principes fuerunt constituti, Genesis 49. versu 28. Singulas hæc tribus proprio insigni stemmate, docent Abulensis quæstione quintà & septimà in Numer. capite secundo. Vatablus & Sa in illud Capitulum, & Villal-

Pl. 71. 17.

De Christi nobilitate antiquissima ante solem.

Michæ. 5. 2.

Stellis designati illi astra Deiparæ progenitores.

Kuc. 1.

Ge. 22. 17.

S. Bern.

Virgilius. Cladian.

Duodecim signa Zodiaci sunt stella illa pro duodecim tribubus & harum stemmatibus.

Villalpandus tomo secundo in Ezech. pagina secunda, libro quinto disputatione secunda, capite vigesimo nono. Probatque ab his Auctoribus ex illis verbis Num. 2. versu 2. *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castra metabuntur filii Israel.* Figurina legit: *Quisque ex filiis Israel castra figat sub vexillo suo, & sub signis domus patrum suorum.* Et ex Sapientia capite decimo octavo, versu vigesimo quarto, ubi in duodecim Rationalis gemmis dicuntur sculpta fuisse *parenium magnalia, Græcè Σοφία, gloria, sive decora;* id est, signa færa, & Hieroglyphica Egyptio more referentia Principum stemmata, qui capita erant tribuum: uti explicant Pradus, & Villalpandus. Cum autem duodecim tribuum capita, totidem Patriarchæ fuerint, totidem etiam stemmata, singulis singula, adstruenda sunt. Qualia verò ea extiterint, major dubitatio est.

1283 Gregorius Venetus in sua Harmonia, Cantico secundo, tono septimo, capite decimo tertio, statuit ex capite secundo Numerorum, duodecim tribus Israel, cum per desertum Deo militarent, ita fixisse castra; ut singulis tribubus singula Zodiaci signa responderent. Ad orientalem plagam, in qua sunt hæc imagines, Gemini, Libra, & Aquarius, castrorant Judas, Issachar, & Zabulon. In plaga meridionali, ubi sunt Taurus, Virgo, & Capricornus, castra metatae sunt tribus Ruben, Simeon, & Gad. In plaga occidentali, ubi pictæ sunt figuræ Piscium, Canceri, & Scorpionis, tentoria fixere Ephraim, Manasses, & Benjamin. In trigonio Aquilonari, ubi sunt figuræ igneæ Arietis, Leonis, & Sagittarii, castra locarunt Dan, Aser, & Nephthalim. Hinc mihi conjectare liceat, Jacobum summum imperatorem morti jam proximum distribuisse duodecim filiis suis totidem nobilitatis insignia, juxta diversa Zodiaci signa, hoc sanè ordine, quem haud ineptè deduco ex capite 40. Geneleos, ubi de Benedictionibus Patriarcharum.

1284 In Judæa vexillo insignis nobilitatis erat signum Gemini. Ex hac enim tribu erat Christus geminæ naturæ persona nasciturus. Geneleos 49. versu 10. In Issacharis vexillo resplendebat signum Libræ; nam ille, *Mercies*, interpretatur, quæ librat juxta uniuscujusque meritum; & quia ob mercedem supposuisse humerum ad portandum infanos agriculturæ labores dicitur. Genesis 49. versu 14. In Zabulon vexillo signum Aquarii, ut qui in litore maris habiturus esset, & in statione nubium. Genesis 49. versu 13. In vexillo Ruben resplendebat signum Tauri: de illo enim dictum à Patre, *Ruben fortitudo mea.* versu 3. In vexillo Simeonis signum Virginis, quod sterile est; & Simeoni dicitur: *Devidam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.* versu 7. In vexillo Gad signum Capricorni, in quo sol accingitur, ut retrorsum pergens, iterum ascendat. De Gad verò dicitur versu decimo nono, *Accinctus præliabitur, ipse accingetur retrorsum.* In vexillo Ephraim signum Piscis, quod fertile est, & facundum, introeunte in illud sole: ac de hoc Patriarcha dicitur Genesis 48. versu 16. *Crescat in multitudinem super terram.* & versu 19. *Semen illius crescit in Gemes.* Hebræa vox à piscibus sumpta est: q. d. Posteriori tui ebulliant sicut pisces, pisciscant. In vexillo Manassis apparebat signum Canceri, in quod intrans retrogreditur; & illam designat *P. Ildeph. de Flores in Eccles.*

trocessionem, cum Pater commutans manus, sinistram posuit super Manassem etiam natu majorem. Genesis quadragesimo octavo, versu decimo quarto. In vexillo Benjamin, signum Scorpionis, quia hæc tribus fortis fuit, bellatrix, ferax. Genesis quadragesimo nono, versu vigesimo septimo. In vexillo Dan signum Arietis, qui erat animal sacrificio in expiationem pro peccato destinatum. De Dan verò dictum; *Salutare tuum expectabo Domine.* Genesis quadragesimo nono, versu decimo octavo, Chaldaicè, *redemptionem tuam, æternum Salvatorem.* In vexillo Aser signum Leonis, quod est animal ferocissimum & robustum. Et de Aser dicitur à Moysè Deuteronomii trigesimo tertio, versu vigesimo quinto, *Ferrum, & es calceamentum ejus.* Cumque id certum sit, sole in Leonis signum ingrediente, maturari, & sicari fegetes, quadrat id Aser, de quo Genesis quadragesimo nono, versu vigesimo, *Aser pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Denique in vexillo Nephthali signum Sagittarii. Qui emissis sagittis velocius? De eo dictum Genesis quadragesimo nono, versu vigesimo primo, *Nephthali cervus emissus.* Ecce tibi duodecim tribuum stemmata totidem fulgentissima; singula singulis distributa: præclara quidem præclarissimæ nobilitatis stemmata, non nocturna, non fumosa, sed sidera, stellifera, stellata, inter caliginosæ noctis opacas tenebras fulgentia. Semen enim Abrahamæ erat multiplicandum sicut *stellæ caeli.* Geneleos vigesimo secundo, versu decimo septimo.

1285 Jam ergo ex his apparet, cur Deipara Maria stellis duodecim coronetur. Totidem sunt splendidissima Zodiaci signa: totidem Abrahamiticæ nobilitatis stemmata, totidem nobilissimæ profapiae characteres, totidem præceli tituli sanguinis venustissimi. Honorarius est progenitorum catalogus. His planè stemmatibus tantum ipsa defert, ut super caput imponat, quasi de cana claraque majorum suorum nobilitate gloriatur. Nobilitatis tituli inter duodecim tribus distributi, in una Deipara coacervantur hæreditario fœdere, in ipsa feliciter splendent, vernant, gemmant, florent; usque ad Christum ex ipsa productum, in quo resculpitur avita & materna nobilitas. Describat Sponsa Canticorum quinto, Sponsi sui pulchritudinem, & subterexit versu decimo quarto, *Venter ejus eburneus distinctus sapphiris.* Dixeris non ineptè laudari his verbis virginalem Mariæ uterum; nam hic corporati Verbi venter fuit, in quo carnem sibi induit. Unde Psalmo 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Ex Hebræo veritas cum Eusebio, & nonnullis Hebræis apud Agellium: *Ex Maria genui te.* De hoc igitur Christi utero, id est, Maria, ait Sponsa eburneum esse, & sapphiris distinctum. R. Abenezra sic effert: *Venter ejus cingulus medius, id quo sunt similitudines syderum.* A quo non longè abest Chaldaeus, qui cum putaret hæc verba allusionem contineri ad pectorale summi Sacerdotis, in quo duodecim Patriarcharum nomina & stemmata gemmis sculpta visabantur, addit: *Qui similes erant duodecim signis caelestibus.* Atque hoc promovetur ab Abrahamo Abenezra, asserente, illud Rationale, in Astrolabii formam instructum fuisse, uti referunt Abulensis Exodi vigesimo octavo, quæstione secunda, & Serarius libro primo in Josue capite nono, quæstione vigesima quinta. Est autem Astrolabium, seu Planisphærium, ut Ptolomæus Astronomorum Princeps vocat) perfectissima totius cæli ima-